UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Meinvlphvs C. 5. Octob.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70962

Visual Library

illam sauciaret, sua vulnera dilectæ impressit, occulta tamen, ut ferè solet amor. Adfuit deinde sæpè sponsæ, nunc cruce pro more chlamydatus, nunc spineâ, quæ illum maximè decet, corollâ ornatus, nunc qualis mortem triumphavit, conspicuus. Arrha ab eodem datæ gemmæ quaternæ & pendulæ è Rosario Cruci additæ, Dos verò omne cælum: cujus opes cùm quandoque THERESÆ CHRISTVS ostentasset, *viden'*, ajebat, (tute tibi lector dictum puta) *quantis se bonis peccatores spolient*? Sed & veste nuptiali cùm Ordinem, quem Carmelitarum dicimus, restauraret, Virgo MATER & VIRGINIS SPONSVS IOSEPHVS cælo allatâ exornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ facem præferret, anno M.D.LXXXII. mors beata. *Ex vitâ.*

S. MEINVLPHVS C. 5. *Octob.*

VIx MEINVLPHVS illa Christi verba audierat: *Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*, cùm apud se constituit non solùm Christo locum in animo suo facere (ubi enim ille libentiùs nidularetur?) sed & templum ponere. Circumspicienti aream, delapsa cælo in silvas lux & cervas inter Crucem cornu præferens cervus signavit. Eo igitur in loco Deo & virgi-

virginibus sacris domicilium, sibi tumulum struxit, cui cùm mortuus inferendus esset, ecce magnâ VIRGINE volente, tam diu vitæ restitutus est, dum res templi & cœnobii componeret. Multò post apertus suâ sponte tumulus cymbalum ostendit, quo divus in sacris Minister uti solitus erat. Hoc deinceps, quoties virgo ex asceterio moritura erat, sonitu suo mortis insidias detexit. Ipse Divus bis visus in somnis, bis è vitiorum veterno excitare clientem, qui à cubiculis illi fuerat, laboravit. Sed ille in utramque aurem dormivit. Ergo tertiùm adest, & multis objurgans, quòd mortis æternæ reus dormiret tam altùm, visionis non vanæ argumenta vaticinatur. Hîc demum experrectus alter & barbam sibi evulsam sentiens credere monenti, resipiscere, ad templum MEINVLPHI properare, & cùm illic rudis antè & nec primis literis tinctus subitò Latinæ linguæ peritiam accepisset, aræ ministris vel ideò se faciliùs sociare, quòd attonsus jam à somno esset. *Ex Sur.*

S. BRVNO C. *6. Octobris.*

QVo tempore D. BRVNO Lutetiæ Parisiorum ingeniũ bonis artibus excoluit, vir è vitâ excessit princeps inter literatos, quique virtutis existimationẽ longè maximam post se reliquit.

Sed